

patior, cur impii vivunt? Inveteraverunt aptem, et in divitiis semen eorum secundum voluntatem, filii eorum in oculis, domus eorum abundant, timor autem nusquam, flagellum autem a Domino in est non ipsis. Haec videns infirmus corde exagitur, et studium avertit suum. Cujus dicturus sermones, ante sanctus praemisit Iob, dicens: Portate me, ego autem loquar, deinde ridete me. Nam et si arguor, quasi homo arguor. Portate ergo onus sermonum meorum. Dicturus enim sum, quod non probo; sed ad vos redarguendos proferam sermones iniquos. Aut certe, quia ita est versus: Quid autem? Numquid ab homine arguor? hoc est, homo me non potest redarguere, quia peccavi, etsi argui dignus sum: quia non ex evidenti culpa me arguitis: sed ex injuriis aestimatis merita delictorum. Videns ergo infirmus abundare injustos successibus prosperis, se autem atteri, dicit Domino: Discede a me, vias tuas scire nolo. Quid prodest, quia servivimus ei? Aut quae utilitas, quia occurrimus ipsi? In manibus eorum omnia bona, opera autem impiorum non videt. Laudatur in Platone, quod in Politia sua posuit, eum qui contra justitiam disputandi partes recepisset, postulare veniam dictorum quae non probaret, et veri inveniendi atque examinandae disputationis gratia, illam sibi impositam personam dicere. Quod eo usque Tullius probavit, ut ipse in libris quos scripsit de republica, in eam sententiam dicendum putaverit. Quanto antiquior illis Iob, qui haec primus reperit, nec eloquentiae phalerandae gratia, sed veritatis probandae, praemittenda aestimavit? Statimque ipse quaestionem enodem reddidit, subjiciens, quod extinguatur lucerna impiorum, et futura sit eorum eversio: non falli Deum doctrinam sapientiae et disciplinae, sed esse veritatis judicem. Et ideo non secundum forenses abundantiam aestimandam beatitudinem singulorum, sed secundum interiorem conscientiam, quae innocentium et flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta